✠

PARADISUS SYMBOLICUS

MYSTICUS, POMIFERUS, ODORIFERUS,

ATQUE SERAPHICUS, AROMATIBUS FRAGRANS, ubertate conſpicuus, Pulcher viſu, ſuaviſsimiſque fructibus delectabilis.

PLANTATUS IN DOMO DOMINI;

IN *EDEM*, INQUAM, BOETICO-SERAPHICO, amœniſsimo undique, voluptuoſo valdè.

QUI, DUM SIBI PRÆSULEM, CUSTODEM DIGNISSIMUM, ac Præpoſitum Paradiſi, eligendum proponit, omni Arborum pulchritudine penitùs admiranda, id eſt, Virtutum, & Scientiæ, mira varietate apparebit ornatus.

IGITUR VERE FRAGRANS,

PULCHER VALDE, AC DELECTABILIS NIMIS; dum per quatriduum fructus erumpet Myſticos, atque Seraphicos; elevabuntque ejus flumina vocem ſuam in Ampla Domo, Eccleſia magna, Regalique Conventu Hiſpalenſi Chriſtifero

FRANCISCO,

REGULARIS OBSERVANTIÆ SACRO;

A die 17. menſis Octobris, uſque ad 20. ejuſdem incluſivè, anni Domini MDCCLXVI.

Hiſpali: In Offic. Joſephi Padrino, in vico Genuenſi.

SYMBOLICA, AC COMPENDIOSA DESCRIPTIO Paradisi Mystici, atque Seraphici.

ET NUNC TE CONSOLABOR SION, ET PONAM solitudinem tuam quasi Paradisum voluptatis.

Isai. Cap. 51. ℣. 3. *apud Septuag.*

APTE Sion Mystica describitur Eparchia Minoritica, dum supra Montes scientiæ, & sanctitatis fundata, super celeberrimum Bœtis flumen præparavit eam Altissimus. Sed verè omni desolata desolatione, dum sapientissimo Præsule, ac sponso dilectissimo orbata, vidua facta est Domina gentium: Princepsque Prouinciarum absdubio fuisset facta sub tributo, nisi providè Auctoritas suprema eam citò in Paradisum convertisset. Sed ubi Paradisus? Incertum quidem apud Patres Sed quære ipsum in Provincia Bœtico-Seraphica, & Mysticum protinùs adinvenies. Ait enim Psellus: *In choro divinarum virtutum invenitur.* (1.) Etenim si de terrestri asseritur, fuisse amœnissimum, ac temperatissimum, partim à situ suo naturali, partim ex Dei speciali providentia omnem intemperiem ab ipso penitùs removente, (2.) id ipsum in Bœtico-Seraphico Capitulari Congressu mysticè, ac simbolicè designatur. Ut postquam perfectus sic appareat Seraphicus Paradisus, & omnis ejus ornatus bellé, ac mirificè compleatur, tollat Deus hominem, quem jam formaverat præditum scientia, & virtute, & ponat eum in medio, ut ipsum custodiat, & operetur. Lignum etiam vitæ, cum scientiæ Arbore, & Fluminibus irrigantibus animos intuentium admiratione attripiet, dum ex eorum fœcunditate mirifica fructus salutiferi, id est, conciones quatuor manè mirabilitèr erumpent, atque subtiles Theologicæ Exhalationes vesperé exhalabunt per triduum. Igitur exulta; & lauda Mystica habitatio Sion: quia Magnus in medio tui, id est, Præpositus Paradisi, dum hujus circumamicta varietatibus, in plausibili solemnitate Capituli sic miro ordine citò apparebis ornata.

(1.) *Apud Alap.* 3. *Genes.* (2.) *Ibid.*

SYMBOLICA, AC COMPENDIOSA DESCRIPTIO Paradisi Mystici, atque Seraphici.

ET NUNC TE CONSOLABOR SION, ET PONAM solitudinem tuam quasi Paradisum voluptatis.

Isai. Cap. 51. ℣. 3. apud Septuag.

APTE Sion Mystica describitur Eparchia Minoritica, dum supra Montes scientiæ, & sanctitatis fundata, super celeberrimum Bœtis flumen præparavit eam Altissimus. Sed verè omni desolata desolatione, dum sapientissimo Præsule, ac sponso dilectissimo orbata, vidua facta est Domina gentium: Princepsque Provinciarum absdubio fuisset facta sub tributo, nisi providè Auctoritas suprema eam citò in Paradisum convertisset. Sed ubi Paradisus? Incertum quidem apud Patres Sed quære ipsum in Provincia Bœtico-Seraphica, & Mysticum protinùs adinvenies. Ait enim Psellus: *In choro divinarum virtutum invenitur.* (1.) Etenim si de terrestri asseritur, fuisse amœnissimum, ac temperatissimum, partim à situ suo naturali, partim ex Dei speciali providentia omnem intemperiem ab ipso penitùs removente, (2.) id ipsum in Bœtico-Seraphico Capitulari Congressu mysticè, ac simbolicè designatur. Ut postquam perfectus sic appareat Seraphicus Paradisus, & omnis ejus ornatus bellé, ac mirifice compleatur, tollat Deus hominem, quem jam formaverat præditum scientia, & virtute, & ponat eum in medio, ut ipsum custodiat, & operetur. Lignum etiam vitæ, cum scientiæ Arbore, & Fluminibus irrigantibus animos intuentium admiratione arripiet, dum ex eorum fœcunditate mirifica fructus salutiferi, id est, conciones quatuor manè mirabilitèr erumpent, atque subtiles Theologicæ Exhalationes vesperé exhalabunt per triduum. Igitur exulta; & lauda Mystica habitatio Sion: quia Magnus in medio tui, id est, Præpositus Paradisi, dum hujus circumamicta varietatibus, in plausibili solemnitate Capituli sic miro ordine [illegible] citò apparebis ornata.

(1.) *Apud Alap. 3. Genes.* (2.) *Ibid.*

ITA apud veteres plauſibile ſemper extitit Lignum Vitæ, ut de ipſo fabulati ſin Poetæ, ſuum nectar, & ambroſiam, quaſi cibos Deorum eos facere immortales, ac lætos, & Beatos conſtituere. (3.) Certè erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa. Sola enim

BEATISSIMA VIRGO DEI GENITRIX MARIA,
maximè in primo phyſico ſuæ puriſsimæ Conceptionis inſtanti,
LIGNUM VITÆ

Eſt, in ſenſu Tropologico, his, qui apprehenderint eam. (4.) Ex ipſa enim vita redit; & ideo, qui elucidant eam, vitam æternam habebunt.

MYSTICA OLIVA

Pacem inter Deum, & homines annuntians: Si enim ſola Oliva, cæteris arboribus in profundo aquarum demerſis, viridis remanebat, & integra, & ideo gaudium annuntiavit univerſis, qui habitabant in Arca, intellexit enim Noè, quod jam ceſſaſſent aquæ ſuper terram: (5.) Sola Maria, cæteris hominibus in profundo culpæ originalis pelago ſuffocatis, integra, & in gratiæ viriditate permanſit. Quapropter Conceptio ejus gaudium annunciavit univerſo Mundo; quia ipſa concepta, & in lucem edita, intellexit ille, ſe fore citò reconciliandum cum Deo.

ARCA DIVINA

Ab Æterno Artifice fabricata incorruptibili Ligno vitæ, in qua, ab univerſali diluvio ſervata, ſalvantur qui ad eam confugiunt omnes in preſentis ſæculi fluctibus periclitantes mortales, quia non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.

Morvid	A quæ fue	Rant tu redd	Is Corpora ſan. . . .	
Maxima	IArgi	Ris nob	Is bona commoda cũct.	
Mortis	Agõne	Reos Satanæ deféd	Is ab ir.	A
Mortu	Aper culpam peR te mens	ſurg	It ad aſtr.	
Menti	dAs pia	gaudia. Recta es tu	vIa ad Æther.	

Gratia cum candore die celebrabitur iſta,
Qua Concepta fuit candida, labe carens.

Privilegium tantum proferet primo ſole aureis rivulis eloquentię *P. Fr. JOSEPHUS SOSA*, ex-Lect. Philoſoph. Olim in Colleg. Majori Complutenſi Collega, & in Conventu Gadicenſi Sacræ Theologiæ incumbentium Magiſter.

SECUN-

(3.) *Alap.* (4.) *Prov.* 3. (5.) *Geneſ.* 8.

SECUNDUS PARADISI ORNATUS LIGNUM SCIENTIÆ

CELEBRE quidem apud Antiquos: de illo enim existimarunt, vim habuisse acuendi ingenium, & prudentiam, & inde vocatum fuisse Arborem scientię boni, & mali. (6.) Adaptatur simbolicè

CHERUBICO P. N. S. DOMINICO DE GUZMAN
Stellæ fulgentissimę
Sua se luce signanti, ut alios sapientiæ suæ Cœlestis illuminaret fulgore.

ARDENTISSIMÆ FACI
Orbem incendenti universum.

FORTISSIMO ATLANTI
Mundum suis humeris substinenti, nè corruat, ipsiusque Mundi Fideijussori justissimo, ac reformatori rectissimo: Qui sacris prænuntiatus oraculis, in lucem editur Stella signatus in fronte, quia ex multorum mentibus erat abacturus errores. Novam in Ecclesia militiam instituit, clarissimum scilicet Prædicatorum Ordinem, qui velut *Domini-Canes* adversus tot mala assiduè latrantes, Mundum debellare, & reformare cœperunt, & usque in præsens incœptum opus infatigabiliter prosequuntur. Sed quibus armis? Oratione, Fide, & Sapientia. Id est: Sanctissimi contra vitia publicatione Rosarii, Fidei Tribunalis adversus hæreses institutione, atque Angelici Thomę Cœlesti contra ignorantiam doctrina. En quàm erga Ecclesiam Dei Prædicatorum benemeritus Ordo! Quàm exactè Dominicus munus suę Fideijussionis implevit! Quàm justè ab ipsius oraculo Ecclesię talis Ordo *dextra manus* appellatur *Ecclesiæ*! Dicat Cœlum tanta turba Dominicæ sobolis habitatum: Dicat Roma tanta Vicariorum Petri, Purpuratorum Patrum, Patriarcharum, atque Antistitum copia exornata: Dicant Biblyothecę tanta insignium locupletatæ Doctorum: Dicat tandem Patria Cœlestis innumero Beatorum agmine inhabitata, qui ad æterna gaudia prædicatione, & exemplis Filiorum Dominici pervenerunt, & quotidiè perveniunt.

Totus hic est Domini; de se sibi nilque reservat,
Se totum Domino, cætera datque aliis.

Hac die in Aula Capitulari, jam ad electionem congregatis vocalibus, eximiè perorabit *P. F. THOMAS DELGADO*, in Conventu Majori Hispalensi Lect. Philosophiæ.

TER-

(6.) *Joseph. Lib. 1. Antiq. Cap 2.*

TERTIUS PARADISI ORNATUS FLUVIUS DE LOCO voluptatis.

HIC totum Paradiſum irrigabat, vel per varios fluctus, & ſinus ſe intorquens (ait Meander) vel per meatus occultos humectabat. (7.) Sed quis eſt hic in Paradiſo Seraphico myſticam ejus Civitatem lætificans, per univerſúmque Orbem diffuſus, atque gloria illuſtratus? Abſdubiò

S. P. N. S. FRANCISCUS.

Ad hoc enim novus homo venit in Mundum novo, & ſtupendo miraculo clarus; cum ſingulari privilegio, retroactis ſæculis non conceſſo, inſignitus apparuit, ſacris videlicet ſtigmatibus decoratus, ſecum ferens non ſolum in humeris ſignum *Tau*, ut Chriſti principatus eſſet ſuper humerum ejus; ſed etiam in volis, plantis, & latere ſigna Redemptionis copioſæ impreſſa digito Dei vivi, ſic totus evadens in Jeſu Chriſti Crucifixi expreſſam ſimilitudinem transformatus. Hic igitur novus homo, vel potius novi Teſtamenti novus Angelus habens ſignum Dei vivi, Mundum vitiorum pondere jam jam collabentem aſpiciens, ſuis humeris novus Atlas ſuſtinere conſpicitur. Verè mirificum ſpecialiſsimæ gratiæ opificium: quem elegit Deus ex omni carne, ut Mundum univerſum aqua irrigaret ſapientiæ ſalutaris, portaretque nomen Chriſti coram Regibus, & gentibus, atque prædicando Baptiſmum pœnitentię pararet Domino plebem perfectam. Qui, ut illuminaret his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedebant, novum comparavit exercitum, à Deo factus in gentem magnam multiplicatam ſicut Stellas Cœli, quia velut Stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Nam ſapientia, & virtute præditi Filii ejus, contra Goliat, & exercitum ejus, id eſt, contra Satanam, & Mundi vitia pugnantes, prædicant Chriſtum, & hunc Crucifixum. Tali igitur ſtipatus militia, nova methodo totum terrarum Orbem oppugnatus aggreditur, non ſibi, ſed Cœlo; non ſtrepitu armorum, non ſanguinis effuſione velut Alexander, aut Cœſar; ſed Libani Cedros humilitate confringens:

Pauper, inops, humilis contemnens omnia Mundi
Fit Mundi Dominus, vivaque imago Dei.

Hac die mirè decantabit geſta Beatiſsimi P N. Franciſci *P. Fr. FRANCISCUS JOSEPHUS BENITEZ*, Prædicator Generalis.

QUAR-

(7.) *Meander apud Cornel.*

QUARTUS PARADISI ORNATUS FLUMEN PHISON

DE quo traditur apud Plinium, nigras producere Arbores ſtillantes lachrymas perlucidas. (8) Ecce erectum Mauſoleum pro

EXC. BOETICO-SERAPHICÆ EPARCHIÆ PATRONIS

QUI jam ex hoc ſæculo tranſierunt; atque univerſæ terræ ingreſsi ſunt viam. Si enim ſancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur, qualis erit pro Benefactoribus mortuis? Si ſecundùm meritum debet fieri luctus pro mortuo, quantus debet à Wandalica Minorũ exhiberi Provincia pro Illmis. Patronis, & Benefactoribus ſuis Excellentiſsimis? Ubi gratia, ibi grata memoria. Laudemus igitur viros glorioſos & Patronos noſtros, quia laudare poſt mortem, magnificare poſt conſummationem honorificum eſt. Homines fuerunt dominantes in poteſtatibus ſuis, magni virtute, prudentia ſua præditi, & imperantes virtute prudentiæ, pacificantes in domibus ſuis Fuerunt quidem viri miſericordiæ: pietates eorum numquàm nobis defuerunt. Cum ſemine eorum èadem nobis permanent bona, quia hæreditas ſancta nepotes eorum, & in teſtamentis ſtetit apud ſemen eorum nobis benefaciendi legatio; atque ideo memoria eorum celebrari non derelinquetur á nobis. Et quia corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, honorificum ipſis erigimus Mauſoleum, & pro animabus ipſorum, qui habitant in ſepulchris, & expiatione culparum, hoſtiam ſolemnem Domino ſuper Altari immolamus, ut requiem æternam donet eis Dominus, & lux perpetua luceat eis: Atque ad eorum funeſtam Pyram ſubſequens concinimus

QUINTUS PARADISI ORNATUS FLUMEN GEON

HOC fuisse Nilum, plurimorum SS. PP. unanimis est sententia:(9) De quo Philo testatur: ita gaudere naturę speciali privilegio, ut dum alia flumina sub æstatis ardore comprimuntur, illud exundans, omnes Ægypti Campos uberrimè inundet. (10.) Quid aptius pro =

B.ma V. MARIA A PRIMORDIO CONCEPTIONIS

In quam descendit sicut pluvia Divinum Verbum? Sicut enim in solo Gedeonis vellere ros candidus apparebat, dum in omni terra siccitas videbatur,(11.) sic in sola Maria gratiæ plenitudo affluebat, dum in reliquis Adæ filiis ipsius gratię carentia communis erat; quia de ipsa jam prænuntiatum fuerat: *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Ita ab Altissimo super maria fundata, & super flumina præparata, ut ab omni procella etiam culpę originalis immunis, in fluctibus maris vitę hujus innocens ambulaverit, ut de longè portaret panem suum, hoc est, Christum nobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi in Eucharistię Sacramento mirabili permansurum.

*M*agni, *A*c Æterni Pat*R*is tu fil *I*a dign. . .
*M*irantur m*A*trem Ch*R*isti te s *I*dera cels. . . A
*M*ira Par*A*cleti pu*R*a, & digniss*I*ma Spons.
Criminis hęc expers, omnique Charismate plena
In *primo* instanti gignitur *esse sui.*

Huic ergo mystico Flumini, Fœminæ, inquam, purissimę lunam, id est, culpam sub pedibus suis habenti, Wandalica hęc Minorum Eparchia pro comitiis Provincialibus congregata hanc Theologicam exhalationem ex Subt. Seraphico Paradiso selectam, reverenter D. O. S.

.. PRIMA EXHALATIO THEOLOGI...

SEXTUS PARADISI ORNATUS FLUMEN TIGRIS.

FLUVIUS quidem velocissimus; sed merito *Tigel* nuncupatus, quia levis, & accutus. (15.) En mira effigies

EXC. D. Rmi. P. N. Fr. PETRI JOANNETII DE MOLINA, Catholicæ Majestatis in Regia Matrit. Synodo pro Immaculata Conceptione Theologi, totius Ordinis Minorum ex-Minist. Gen. Visit. App. nunc denuò Minist. Gen. &c.

Hic, inquam, accutus, & levis est, atque velocissimus. Nam misericordiam habens, docet, & erudit gregem suum; & ejusdem forma factus ex animo, subditos pascit verbo, & exemplo, illud: *Esto vigilans*, & *confirma* adeo fideliter observando, ut ex quo custodit Israel, id est, ex quo supremi Prçlulatus onus suscepit, pactum pepigerit cum oculis suis, ut non dormitet quidèm, neque dormiat. Etenim tamquám accutus fluvius, levis, atque velocissimus, hoc est, ut bonus, & vigilantissimus Pastor, quod abjectum erat reducendo, quod perierat quærendo, confractum alligando, atque infirmum consolidando, posteris relinquit Pastoribus imitandum exemplum. Quippe universo Minorum Ordini semèl, atque iterùm benè præpositus, ita partes boni Patris adimplet, adeoque se ipsum prçbet exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, & gravitate, ut nullus sit, qui habeat aliquod malum dicere de illo. Sed de hoc satis.

Natorum est siquidem laudes celebrare Parentum:
Quis nostri valeat plaudere gesta satis?

Tanto igitur Præsuli venerando Bœtica sua Minorum Provincia in obedientiæ signum, & summissionis aliquale argumentum D. O. S. hanc Subt. Theologicam Exhalationem.

)✠(SECUNDA THEOLOGICA EXHALATIO.)✠(

TIMOR *Domini sicut Paradisus Benedictionis*. Eccles. 40. Veluti enim Paradisum omni fructum amœnitate Deus decorat, sic timentem se omni virtutum genere cumulat. (16.) Unde: spiritus timentium Deum quçritur::quia spes illorum in salvantem illos. Et ideo, qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. (17.) Spes igitur Theologica Deum immediatè tangit sub ratione summi boni nostri. *Facta revelatione alicui de sua damnatione propter peccata futura, adhuc teneretur Beatitudinem sperare.* Die 18. Vesperè defensabimus.

Pro hac defendenda Scotica Exhalatione fortis stabit propugnator *P. Fr. DIDACUS ROLDAN*, ex-Lect. Philos. ac in Conv. Astigitano Studentium Magister, sub securo præsidio R. *P. Fr. GUNDIZALVI MEDERO*, Lect. Jub ex-Deffin. Exam. Syn. Archiep. Hisp. & in Magno memorato, Cœnobio emeritissimi Prçsulis. SEP-

(15.) *Alap.* (16.) *Idem.* (17.) *Eccles.* 34.

SEPTIMUS PARADISI ORNATUS FLUMEN EUPHRATES.

CUJUS profundi gurgites, ac immensa aquarum copia Civitatem Babylonicam inexpugnabilem fecerunt, ait Orosius. (18.) Ecce Bœticam Civitatem Seraphicam vallatam summopeté, ac munitam, quia circundata, atque defensa simbolico Flumine Euphrate. Hic est =
EXC. D. D. BONAVENTURA OSSORIO DE MOSCOSO, Phelipez de Guzman, Davila, Roxas, Hurtado de Mendoza, Fernandez de Cordoba, Comes de Altamira, Marchio de Astorga, Leganez, Ayamonte, Dux de Saulucar la Mayor, Princeps de Aracena, Dominus Septem Villarum de Campos, &c Bœtico-Seraphicæ Prov. insignis Patronus.

Qui Aquille validior, Alexandro fortior, tot retrò sæculis maxima illustratur origine, ut pote Codro generosior, qui majorum fumosis imaginibus suorum, & natalium antiquitate gloriari potest, ut canit Ovidius;

Usque viret laurus semper, nec laude caducâ
Carpitur, ęternum sic habet ille decus.

Non autem utcumque claro majorum suorum stemmate decoratus; sed planè Avorum, & Proavorum decoroso nitore imbutus, magnitudinis non solum eggregiæ, sed etiam inimitabilis ingentissimo Atlanti. Tòt enim natura cum gratia eum dotibus exornavit, ut altera ab alterius excessu laudem accipiat plurimam. Sic quidam:

Ultrà prior laus sit, dum litigat utraque laudem,
Altera ab alterius laus sibi laude capit.

Tanto igitur Tutelari, ac Magnifico Patrono eadem Provincia ad suorum Pręsulum electionem unanimiter congregata, subtilem istam, ac Theologicam exhalationem in suæ clientelę, & gratitudinis signũ D.O S.

TERTIA EXHALATIO THEOLOGICA.

EGO *quasi fluvii Diorix, & sicus aquæductus exivi de Paradiso.* Eccles. 24. Alii: *Ego quasi fluvius vorax.* Quod B. Virgini aptissimè convenit, quę gratiarum omnium fluenta hausit ac perbibit. Accipe Doctorem Seraphicum: *Omnia* (inquit) *charismata intrant in Mariam; flumen enim gratiæ Angelorum, Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariã, flumen gratiæ Apostolorum Martyrũ, Confessorum, Vrginum atque Doctorũ intrat in Mariã* (19.) Sed quid mirum si omnis gratia in Mariã confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? *Habuit,* igitur, *in via B. V. Maria gratiam habitualem summam negativè, seu absolutè possibilem.* Die 19. (Vesp.) propug.

Ad arenam descendet Minervæ scuto munitus P.F. Antonius Retes, *ex Lect. Phil. olim in Complut Coleg. Alumnus, & in Conv. Gadicensi Magist. cui opem, & tutam præbebit protectionem* R.P F. Joannes Castaño, *Lec. Jub. meritissimus*

(18.) *Orosius lib. 2 cap. 6* (19) *Div Bonav. in Speculo cap. 3.*

Igitur perfectus est Mysticus Seraphicus Paradisus, & omnis ejus mirificus ornatus. Requiescetque Wandalica Minorum Provincia septima solemnitate ab universo opere, quod patrarat.